



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titvlvs VIII. De Schismaticis & ordinatis ab eis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

TITVLVS VIII.

De

Schismaticis & ordinatis ab eis.

QUÆRES 1. Quid sit Schisma? Respond. Schisma à Sciffura dictum, est discessio ab unitate Ecclesiæ per inobedientiam facta; juxta quam definitionem schismaticus propriè dicitur, qui Papæ tanquam summo Ecclesiæ capiti subesse, eique cum aliis membris debitam reuerentiam & obedientiam exhibere recusat. Ex quo patet schismaticum non esse quemvis excommunicatum, quia non separat se à communione fidelium, sed potius separatur; nec eum qui ab obedientiâ unius Episcopi recedit, cum maneat in obedientiâ Papæ, & unione universalis Ecclesiæ.

QUÆRES 2. An & quæ sit hæresin inter & schisma distinctio? Respond. Licet schisma ab hæresi differat, leò quod ista directè opponatur fidei, negando aliqua ejus dogmata, illud verò charitati contrarietur, unionem, quæ in charitate consistit, scindendo, ideòque schismatici esse possint, qui hæretici non sunt *can. inter hæresin caus. 23. q. 4.* frequenter tamen imò plerumque schisma cum hæresi conjunctum est.

QUÆRES 3. Quæ sint schismaticorum pœnæ? Respond. Pœnæ schismaticorum sunt 1. Excommunicatio. *can. nulli. dist. 19.* quæ hodie est latæ sententiæ & in Bullâ cœnæ domini reservata Pontifici. 2. Inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica & dignitates præsertim Episcopalem. *c. 5. de electione.*

3. Irre-

3. Irritæ sunt collationes beneficiorum & rerum Ecclesiasticarum alienationes per schismaticos factæ. *cap. 1. h. t.* imò & ordinationes. *cap. 1. § 2. h. t.* non quodammodo quoad characterem sacramentalem, vel consecrationem, sed quoad executionem, quia ordinati ad iis, ab ordinis usu & exercitio suspenduntur donec cum iis fuerit dispensatum.

TITULUS IX.

De

De Apostatis & Reiterantibus baptisma.

QUÆRES 1. Quid sit Apostasia & quoruplex. Respond. Apostasia est à statu fidei, obedientiæ, & religionis, quam quis professus est, recedere, recessus temerarius; ejus juxta Innoc. *cap. praterea h. t.* tres sunt species, perfidiæ videlicet à fide, à obedientiæ, & irregularitatis, perfidia sive apostasia à fide est omnimoda desertio fidei Christianæ; enim qui à quibusdam articulis fidei recedit, reliquos retinet, hæreticus est non apostata. Apostasia à fidei obedientiæ sive à religione, est temerarius recessus à Religioso statu per professionem inito, quæ committitur, si religio temere & cum animo nequa deservatur, etiamsi habitus non abjiciatur. Apostasia à fidei irregularitatis sive ab ordine clericali, est temeraria desertio à statu clericali, ad statum laicalem, prout fit, quandò Clericus relicto ordine & habitu contrahit matrimonium, militiam vel aliam rationem vivendi à secularem propria auctoritate transit.

Quæ.